



nonne dixit, de quibus conqueri posset? nonne fassus est, se defensionem religionis suae non subterfugere? Dixi, *Feuerlinum* vberius examen omisisse. Nonne vero omisit? Ast vbinam scripsi, *Feuerlinum* mecum adfirmare, litteras *Pauli III.* a capite ad calcem technis et fraudibus abundare? Permittas, quaeso, vt, quod mei caussa exclamasti, ego tantum quaeram ex Te, vbinam Tua fides, vbi candor historicus? Et quum rem eo adigas, vt fidem meam in suspensionem velis adducere, ac mihi improbitatem, calumnias, imo furorem attribuere, permittas, deuotissima mente abs Te petere, vt dubium, quod a longo iam inde tempore, mihi inhaesit, eximas. Miratus nimirum sum saepissime modum illum, quem Ipse cum amicis Tuis instituis. Idne enim, quod cum *Feuerlino* egisti, idne est fidem seruare? idne est secundum leges fauoris perpetui agere? nonne potius hi, qui perfectum candorem etiam in viris illustribus desiderant, querelas effundent, se dolere, male agi cum *Feuerlino*, quia animo bono, quo affectus est optimus vir, atque illius comitate menteque ad inseruendum prona Te abusum esse, conspiciunt? Iudicent, qui possint aut velint, honoremne, ab Academia Georgia Augusta vt mere politicum Tibi oblatum, et ab ecclesiastico honore sollicitè distinguendum, eo detorseris, vt Italis Tuis vnionis in religione obtinendae spem faceres, quae tamen plane nulla in Germania adparuit, nec est adparitura, quamdiu Roma inueteratis principiis suis inhaeret; potius saniores in Ecclesia Romana viuentes Germani iam contentiorem et despectiorem habere incipiunt transalpini illius episcopi auctoritatem. Imo publice gloriatus es, plures in Germania esse heterodoxos, qui iam honorifice de Ecclesia Romana, Tua quidem ope, sentire incipiant. Examinemus, si placet, verba, quibus triumphum canis in Tua epistola:

„Si talis, inquis, tantusque vir habendus *Feuerlinus* vel ipsius „*Bertlingii* iudicio, superest, vt hic foedae dissimulationis crimen primum confessus, veniam poscat, deinde manibus, pedibusque pergat in eiusdem praeceptoris, et fauoris sententiam, ac proinde dignas reputet *Pauli* litteras, quas inclyta illa Academia praelis etiam suis in lucem emitteret, quasque eiusdem decus adeo singulari elogio decoraret, vt mihi gratulandi occasionem ceperit, quod ipsas suffragio meo probauerim, atque euulgauerim, postquam atra nocte tandiu pressae iacuerunt. Heu fides! heu probitas!

Vt enim taceam, non recte cohaerere hanc rerum propositarum seriem, quod eapropter, quia laude dignissimus est *Feuerlinus*, manibus pedibusque

que